



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. An non etiam nostro æuo publicis nostris cladibus causa sit data ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

jurias suas vindicarent? Nota est Theodosij tragedia vt nihil dicam de Troia ob Helenæ raptum euerfa, quæ meritò potest Argi collis appellari.

Quemadmodum autem Iudæorum crudelitatem in Christum, bello puniuit, ita eodem pœnæ genere olim castigauit, Egyptios & Pharaonem; itemque Tyrios, Idumæos, Moabitas, Syrios, Assyrios, Chaldæos, & quid non historiæ indicant diuersis gentibus accidisse? Quare idem sentiendum est de nostris istis infelicissimis bellis. Quid enim aliud putemus esse, quàm quædam Dei flagella? Nec enim tantum longa pace sæculum hoc nostrum cœpit in luxum solui, vt peregrinis vestibus & viri fæminas, & fæminæ viros mentirentur; vt nulli sumptus sufficerent; vt opificum vxores, nobilium matronas pallijs, tunicis, collaribus, crinium ornamentis, & mundo muliebri exæquarent; sed pœnè etiam fides, religio, reuerentia Diuorum, rerum sacrarum & Ecclesiasticarum obseruatio, sinceritas, iustitia omnis extincta erat; pœnè iterum terræ filij, velut giganteo bello in caelestes insurrexerunt, pœnè superos ipsos conati sunt de regia sua depellere. An non ergo & Deus bellis hæc bella compensaret, & funera funeribus cumulet, dum nos videt scelera sceleribus cumulantes? Sic maculatos crimine, emaculat sanguine: Sic Creatoris sui oblitis aurem vellit: sic opes imminuit, atque abundantiam amputat, ne in vitia ebulliant: Sic animos putrescentes sale condit: Sic delicta contracta expungit: sic fomenta subducit, ne noua contrahantur: sic ignominia implet facies nostras, vt nomen Domini quæramus: sic vulnerat, vt ad medicum recurramus: sic accedit multitudinem impiorum, quorum semper maior est numerus; sic proborum virtutem, patientiamque exercet, & merita coronat; sic improbis dat occasionem poenitendi; aut, si sunt obstinati, eicit illos de hac cæcitate sua in tenebras exteriores. Hoc merentur comperendinatos poenitentia; qui velut Echinus partum differunt.

Duplici autem fonte oriuntur peccata, communium cladium causam præbentia. Aliquando enim ipse populus corruptus iram Dei in se prouocat. Quod de Sodomitis, & Ierichunte dicitur, & de alijs totis gentibus. Meritò enim Deus falcem

III.

IV.